

Liudprandi Opera. Ed. J. Becker. MGH SRG 41. Hannover, 1915, s. 151-160 (kapitola 1).

Liudprandi liber de rebus gestis Ottonis Magni imperatoris

I. Regnantibus, immo saevientibus, in Italia, et ut verius fateamur, tyrannidem exercentibus Berengario atque Adalberto, Iohannes summus pontifex et universalis papa, cuius tunc ecclesia supradictorum Berengarii atque Adalberti saevitiam erat experta, nuntios sanctae Romanae ecclesiae, Iohannem videlicet cardinalem diaconem et Azonem scriniarium, serenissimo atque piissimo tunc regi, nunc augusto caesari Ottoni destinavit, suppliciter litteris et rerum signis orans, quatinus Dei pro amore sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, quos delictorum suorum cupierat esse remissores, se sibi commissam sanctam Romanam ecclesiam ex eorum faucibus liberaret ac salutem et libertatem pristinae restitueret. Haec dum Romani nuntii conqueruntur, vir venerabilis Waldpertus, sanctae Mediolanensis ecclesiae archiepiscopus, semvividuus ex praedictorum rabie Berengarii atque Adalberti liberatus, superius memorati Ottonis, tunc regis, nunc caesaris augusti, potentiam adiit, indicans se non posse ferre et pati Berengarii atque Adalberti necnon et Willae saevitiam, quae Mannassen Arelatensem episcopum contra ius fasque Mediolanensis sedi praefecerat. Aiebat sane hanc ecclesiae suae esse calamitatem, quae, quod se suosque capere oporteret, interciperet. Sed Waldo Cumanus episcopus hunc pone est secutus, non disparem a Berengario, Adalberto et Willa, quam Waldpertus, contumeliam clamitans se esse perpassum. Venerant et nonnulli alterius ordinis ex Italia viri, quos inter illustris marchio Otbertus cum apostolicis cucurrerat nuntiis, a sanctissimo Ottone, tunc rege nunc augusto caesare, consilium, auxilium expetens.